



VI.

LIBER SECRETORVM
ALCHIMIAE REGIS CALID FLI
LII IARICHI, EX HEBRAICA LIN-
gna in Arabicam, & ex Arabica in Latinam
translatus, Interprete incerto.

PRAEFATIO DE DIFFICVLTA-
TE
ARTIS.

GRATIAE sint Deo omnium creatori, qui nos
conduxit, recoluit docuit, & intellectum &
scientiam nobis dedit. Nisi dominus nos custo-
diret & conduceret, essemus sine custodia & si-
ne doctore tanquam erronei, imo huius mundi nil sciremus,
nisi ipse nos doceret, qui principium est & scientia omnium,
sua potentia & bonitate super populum, qui dirigit & eru-
dit quem vult, & reducit sua misericordia ad viam iustitiae,
Misit enim nuncios suos ad tenebras, & vias explanavit, &
sua misericordia replevit suos diligentes. Scias frater, quod
hoc nostrum magisterium de lapide secreto, & officium hono-
ratum, est Secretum Secretorum Dei, quod celavit suo populo,
nec voluit ullis revelare, nisi illis, qui fideliter tanquam filij
meruerunt, & qui eius bonitatem & magnitudinem cogno-
verunt. Qui enim secretum Dei postulat, necesse est ei hoc se-
cretum magisterij plusquam aliud. Et sapientes qui illud as-
sequuti fuerunt, aliqua de ipso celaverunt, & aliqua revela-
verunt. Sic enim inveni sapientes antecessores in hoc conve-
nientes in suis libris honoratis. Vnde scias quod discipulus
meus proprius, Musa, honorabilior omnibus apud me, in ipso-
rum libro multum studuit, & in opere magisterij laboravit,
Vnde aggregavit ipsum eiusdem compositio, & in ea multipli-
citer dubitavit, & ignoravit similiter rerum compositionis
naturas. Et supplex ac humilis pro ipsa, a me explanatio-
nem petijt & directionem eiusdem. Ego autem eidem nihil
s. Vol. in ea

*Sine diuino
numine nihil
est in homine.*

Lapis à Deo